NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE

56 Nº 8 1929

S. Congrégation des sacrements

Joseph CREUSEN

p. 673 - 678

https://www.nrt.be/it/articoli/s-congregation-des-sacrements-3305

Tous droits réservés. © Nouvelle revue théologique 2026

Mariage religieux en Italie (Instruction aux Ordinaires d'Italie sur l'exécution de l'art. 34 du Concordat du 11 févr. 1929.—*A.A.S.*, XXI, 1929, p. 351 ss).

M. le Professeur Van Hove a très bien résumé et expliqué dans cette Revue (p. 544) l'art. 34 du concordat italien au sujet du mariage. Le mariage religieux entraînant, moyennant certaines formalités, tous les effets du mariage civil, il fallait préciser les droits et les devoirs des Ordinaires et des curés en cette matière délicate. La plupart des articles de l'Instruction n'intéressent guère que les sujets de la loi italienne. Il en est d'autres qui méritent d'être signalés ici.

Puisque le mariage religieux peut avoir en Italie tous les effets civils, un catholique italien n'a aucune raison de célébrer le mariage civil avant le mariage religieux. A le faire, il y aurait de graves inconvénients, par exemple celui de faire naître ou d'étendre l'opinion que le mariage civil est, même pour des catholiques, un véritable contrat. Aussi le Saint-Siège interdit-il formellement cette manière d'agir. Les catholiques qui contreviendraient à cette

prescription seront traités comme pécheurs publics et, le cas échéant, on appliquera à leur mariage religieux le c. 1066.

L'article 34 du concordat ne fera pas disparaître toute difficulté dans l'application des lois civile et religieuse au mariage des fidèles. N'en citons qu'un exemple. Supposons qu'un catholique ait, par une aberration encore trop fréquente, célébré un mariage purement civil. Le divorce n'étant pas admis par la loi italienne, s'il contracte un mariage religieux avec une autre personne que son conjoint civil, ce mariage seul valide ne pourra obtenir les effets civils. Parfois aussi l'Ordinaire devra décider avec grande prudence si des catholiques, au mariage desquels s'oppose un empêchement civil, peuvent procéder au mariage religieux qu'on ne pourra faire inscrire aux registres civils. On peut dire cependant que dans la plupart des cas, la loi canonique pourra être appliquée sans se heurter à aucune difficulté d'ordre civil. J. CREUSEN, S. I.

Instruction pour les procès « super rato et non consummato » afin d'éviter la substitution frauduleuse de personnes (27 mars 1929. — *A. A. S.*, XXI, 1929, p. 490, ss.).

In processibus conficiendis super matrimonio rato et non consummato aliquando malo fato evenire potest, quod quis coram tribunali ad deponendum, aut ad se subiiciendum peritorum examini physicorum sistens, alteram personam in ius vocatam, aut quomodolibet in processu partem habentem, dolo substituat. Praesertim in magnis urbibus, ob tam facilem et frequentem de uno in alium locum transmigrationem, hoc facinus est praecavendum.

Haec Sacra Congregatio proinde de sanctitate tanti Sacramenti sollicita, et ne iudicialis inquisitio ad fraudes potius texendas quam ad veritatem dignoscendam inserviat, in huiusmodi processibus has normas servandas esse decrevit.

1. § 1. Officiales huiusmodi causis instruendis praepositi in processus instructione de identitate personarum, quae in tribunali sistunt, et in primis oratoris partisque conventae, diligenter inquirant; et ad hoc expostulent appositum documentum a potestate ecclesiastica aut civili rite confectum, in originali aut in authentico exemplari in actis asservandum.

§ 2. Authenticum exemplar, si singulas personarum notas in

huiusmodi documentis signari solitas referre non valeat, ut puta imaginem arte photographica expressam, eas tamen sedulo referat, quae unam personam ab alia non aequivoce distinguant.

§ 3. Quod si huiusmodi documentum haberi non possit, per alia aequipollentia documenta, vel per testes, in tuto ponatur personarum identitas : et huiusmodi documenta aut attestationes in actis pariter serventur.

§ 4. Si vero iudex instructor aut vinculi defensor aut actuarius probe noscant oratorem seu oratricem aut partem conventam, praetermisso apposito documento identitatis, de certa qua pollent notitia ipsorum in actis fidem faciant.

2. In iudiciali continuanda inquisitione eaedem cautelae serventur quoad testium personas et peritorum quoque, seu obstetricum.

3. Huiusmodi cautelas studiosius, prouti qualitas personarum expostulat, observare oportet, quoties aut orator, aut pars conventa, aut testes aut periti ex commissione rogatoria apud aliam Curiam excutiendi sint.

4. § 1. Quoties orator vel pars conventa physicum experimentum subire debeat, documenta de personae identitate iam in actis asservata, aut eorum exemplaria dentur peritis aut obstetricibus, ut ipsis bene explorata sit persona examini subiicienda.

§ 2. Quoties periti, obstetrices aut matrona, respective, quodam in examine partem habentes, personam explorandam personaliter cognoscant, adeo ut sit supervacaneum praefata documenta transmittere, de hac circumstantia in actis fides fiat.

§ 3. Peracto examine, dum peritis aut obstetricibus consueta interrogatoria fiunt, ad comparendum coram tribunali citetur etiam persona examini subiecta, ut de personae identitate interrogationes ei appositae fiant.

§ 4. Quod si persona comparere nolit aut non possit, de identitate ipsius experimento submissae aeque fiant interrogationes, habita ratione tum peritorum relationis, tum documentorum, quae ad hunc finem transmissa fuere, ut dictum est in § 1.

5. Huiusmodi cautelae severius, prout casus feret, erunt observandae, si experimendum habeatur apud aliam Curiam ex mandato rogatorio.

6. Fieri potest quod nonnullis omissis cautelis, vel iisdem non rite

observatis, aut non satis proficientibus, substitutio personae dolosa accidat et detegatur, idque contingat :

1° processu adhuc durante ;

2° clauso processu, sed nondum Romam transmisso ;

3° processu iam Romam transmisso.

1° — § 1. Processu adhuc durante, iudex inquirat an orator seu oratrix aut pars conventa substitutionem procuraverit ; et si hanc pars oratrix comparaverit, et conventa non se opponat, audito vinculi defensore, decernat partem oratricem iure decidisse instantiam ulterius producendi, et hoc apposito decreto declaret, in actis asservando.

§ 2. Si pars conventa se opponat, iudex, aeque audito vinculi defensore, statuat utrum et quibus adhibitis diligentiis sit ulterius procedendum.

§ 3. Quod si pars conventa sibi comparaverit dolosam substitutionem, iudex, audito oratore seu oratrice et vinculi defensore, edicat quid in casu praestandum sit ad fraudis effectus penitus removendos, et factorum veritatem stabiliendam attentis omnibus casus circumstantiis.

§ 4. Si pars oratrix et conventa in dolosam substitutionem conspiraverint, processualem inquisitionem haud ulterius procedere posse declaret et decernat iudex, eidemque finem imponat.

§ 5. Parti oratrici, quae facti poenitens se excuset, et novis adductis argumentis petat ad ulteriora procedi, iudex instructor, re collata cum defensore vinculi, habita ratione praecipue novarum deductionum, et alterius fraudis omni excluso periculo, poterit annuere, decernendo ulteriorem instructionis prosecutionem.

§ 6. Si substitutio dolo facta sit non a parte oratrice aut conventa, sed ab alia persona, iudex statuat, accedente defensoris vinculi consilio, quomodo fraudis effectibus consuli possit, ne veritas aliarum attestationum, aut totus processus labefactetur.

2° — § 1. Detecta dolosa substitutione, et clauso iam processu, at Romam nondum transmisso, Ordinarius, audito iudice instructore et defensore vinculi statuat utrum ex dolosa substitutione sua vi destituatur integer processus, aut tantum ex quadam parte ; et utrum expediat per actorum supplementum occurrere dolosae substitutionis vitio.

§ 2. Casu quo dolosa substitutio acciderit ad impetendam oratoris aut oratricis intentionem, adeo ut eamdem magis confirmari praesumi liceat, Ordinarius in transmittendis actis Romam, rem distincte explicet et declaret.

§ 3. At non semel expediens erit, servatis servandis, ut acta processus ulterius compleantur, ad facta clarius explicanda.

3° Quoties detegatur dolosa substitutio, processu iam Romam transmisso, Ordinarius satagat illico ac hanc Sacram Congregationem transmittere suas animadversiones, audito iudice instructore et vinculi defensore, referens singulas circumstantias facti, et praesumptam causam fraudis et occasionem.

7. Ad compescendum huiusmodi facinus, iudices instructores et Ordinarii prae oculis habeant praescripta canonum 1743 § 3°, 1755 § 3° et 2362 eaque applicent, congrua congruis referentes.

In his edendis normis, mens est huic Sacrae Congregationi, ut hae censeantur quid unum efficere cum Regulis editis die 7 Maii 1923; quae iam uberes fructus attulerunt in processuum instructione super matrimonio rato et non consummato, atque maiores in posterum allaturas esse sperare fas est, si istae exactius in usum forensem traducantur et intimius perspiciatur earumdem intentio, quae plurimum in partium ac testium bona fide fundatur; haec autem asseritur et confirmatur per iusiurandum, quo in praestando, maxime partes exploratum et sibi firme persuasum habere debent, tantummodo veritati obsequendum esse, ne animabus suis, et forte filiis, malum paene irreparabile inferant. Hoc sedulo iudex explicare et inculcare numquam praetermittat.

Cum porro Emi ac Revmi Patres Cardinales Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum praepositi, praefatas normas maturo examini subiecissent, in plenariis Comitiis diei 23 martii c.a. easdem probarunt et publici iuris fieri, si ita SSmo placuerit, rescripserunt. SSmus autem D. N. Pius Papa XI, in Audientia die 27 Martii 1929 habita ab infrascripto Secretario S. C., haec omnia adprobare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Martii 1929.

M. Card. Lega, Episcopus Tusculanus, *Praefectus*.

D. Jorio, *Secretarius*.

Le document ci-dessus intéresse presque uniquement les curies diocésaines. Il n'est pourtant pas inutile que des prêtres voués au ministère des grandes villes en prennent sommairement connaissance. Ils y constateront avec quelle prudence il faut procéder dans les conseils ou avis à donner sur les procès matrimoniaux. Au danger de substitution de personnes, dont parle l'Instruction, il est bon de savoir que s'en ajoute un autre. Quelques médecins se sont fait une spécialité de l'opération qui consiste à rendre aux organes génitaux extérieurs les apparences qu'ils présentent chez les personnes physiquement vierges.

On remarquera avec quels ménagements le Saint-Siège traite les cas où les époux n'ont pas été tous deux coupables dans la substitution de personne. Ne voulant pas punir l'innocent avec le coupable, elle laisse à l'Ordinaire de juger si et comment il faut continuer le procès soit pour la déclaration de nullité, soit pour la dispense du lien que n'a point confirmé la consommation du mariage.

On trouvera des indications sur le décret du 7 mai 1923 dans notre *Epitome i. c.*, III, n. 276, ss.

J. Creusen, s. i.